

tatis sive formæ alicujus absentiam, indeqve non-ens est; minime vero etiam privativum non-ens dici poterit, qvippe qvod præter formale, nimirum absentiam formæ, etiam materiale, subjectum sci-
licet, in quo illa absentia datur, importat. Potest specifica quædam differentia inter accidentia aliqua intercedere, ut tamen subjecta, qui-
bus insunt, propterea non differant specie, qvin, specie diversa in illis accidentia dari, tantummodo dici queat. Veluti enim accidentia non constituunt essentiam rei, seu prout THOMASIUS *Introd. in Log.* Cap. IV. §. 17. loquitur: *modus rei accidentalis rei ipsi non dat pecu- liarem essentiam, sed in illa re mutari potest; ita nec mutare rem pos- sunt aut in aliam speciem convertere.* Theologia Naturalis & Reve-
lata specie differunt, siqvidem specie diversum utriusque est objectum formale, ac utraqe accidens est in homine, qvod eidem inesse ipsum-
que Theologum denominare potest: non autem inde seqvitur, Theo-
logum habitu Theologiæ revelatae imbutum, & Theologum habitu Theologiæ naturalis pollentem specie diversos homines esse, aut e-
undem Theologum utrumque illum habitum unà possidentem à semet
etiam ipso specie differre, seu duplicitis simul speciei rem esse. Ecqvo-
modo igitur homo regenitus & irregenitus specie differre dicentur,
cum mors & vita spiritualis accidentia tantum hominis sint? Eadem
plane consequentia, hominem doctum & indoctum, virtuosum & vi-
tiis deditum, urbanum & agrestem, Medicum & JCtum, & qvos non?
specie differre, dicendum foret. Imò, totuplicis speciei unus idem-
que homo ens esset, qvot specie differentia in eodem accidentia inven-
niri possunt, id qvod vel cogitare rationi adversum est. Qvandoqvidem
igitur accidentia essentiam rerum non constituunt, adeoque nec spe-
cificam earum inferunt differentiam, intelligitur, etiamsi accidentia-
lis quædam inter eos differentia intercedat, hominem regenitum &
irregenitum specie non differre.

§. III. Sed id quam maximè probandum nobis incumbet,
qvod regenerationem non nisi accidentalem duntaxat homini afferat mu-
tationem, cùm Fanatici præsertim illud negatum eant, substantialem
quandam sive essentialem abinde provenientem hominis mutationem
asserentes, vel fingentes potius somniantesque. Ast unde probari
poterit, regenerationem esse substantialem? qvod S. Literæ nec ullibi